



**Arnoldi Corvini â Belderen, Batavi, Jcti quondam
Consummatissimi, Consilarii Electoralis & Professoris
Moguntini Publici, &c. Tractatus Geminus De Personis
Atque Beneficiis Ecclesiasticis Sive ...**

opus posthumum, diu desideratum, nunc demum excusum, & indice
locupletissimo instructum

De personis ecclesiasticis

Corvinus van Beldern, Arnold

Francofurti ad Moenum, 1708

VD18 10184902

De Voto & voti redemptione. Tit. 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62002)

TITULUS X. De Voto & Voti Redemptione.

SUMMARI A.

- | | |
|---|--|
| 1. Continuatio. | Negativum. |
| 2. Voti definitio. | 13. Commutabile & incommutabile. |
| 3. Ejus explicatio. | 14. Personalia vota quae votare possint. |
| 4. Quotuplex. Primò est Necessarium aut voluntarium. | 15. An usum rationis habentes. |
| 5. Voluntarium quotuplex. | 16. Impediuntur ne nulli, eum habentes. |
| 6. Solemne quotuplex. | 17. Ut Episcopi, & Prælati iis Superiores. |
| 7. Solemne quod. | 18. Monachi. |
| 8. Quod simplex. | 19. Impuberes. |
| 9. Rursus votum aut Expressum aut Tacitum. | 20. Conjuges. |
| 10. Personale, Reale, Mixtum. | 21. Servi. |
| 11. Absolutum, Conditionale. Illud Perpetuum, vel Temporale; Hoc Pœnale, vel non. | 22. Filii familias. |
| 12. Afirmativum aut | 23. Realia vota quæ votare possint. |
| | 24. An religiosus. |
| | 25. Prælati. |

CORVINUS
De Person. Ecclesiast.
et Bene
G

26. *Marita.*
27. *Filius familias.*
28. *Servus.*
29. *Qui & quales actus
voveri possunt.*
30. *Quid si sub voto im-
possibilis rei quid conti-
neatur possibile.*
31. *Quid si actui principa-
li possibili modus adje-
ctus impossibilis.*
32. *An valet votum non
peccandi.*
33. *An de non mentiendo.*
34. *Actus qui voverentur
quales esse debeant.*
35. *Quales eorum absti-
nentia.*
36. *Opera qua ex se mala,
voverentur male.*
37. *Nec sub Votum ca-
dunt indifferentia.*
38. *Necessario eventura.*
39. *Vovendum id quod me-
lius est suo opposito.*
40. *Quapropter nonnulla
vota non valent.*
41. *Ut nec matrimonii in-
eundi.*
42. *Licet ad vitandam
fornicationem.*
43. *Nec si voveat, se non
amplius voturum.*
44. *Actus boni qui sunt
sub precepto, an cadant
in Votum.*
45. *Cadunt sub votum
omnia ea, qua gratiora
sunt Deo quam eorum
opposita.*
46. *Consuetudo vovendi
est laudabilis.*
47. *Ad obligationem Voti
necessaria.*
48. *Deliberatio cur.*
49. *An in Voto solemnne-
cessaria.*
50. *Juramenti Voto adjun-
cti an aliqua efficacia.*

VINUS
PERSONIS
si Ecclesiam

IV.

32

51. *Votum subita animi perturbatione emissum an valeat.*
52. *Pro deliberatione sic Voto praesumitur.*
53. *Votum sine intentione se obligandi est nullum.*
54. *An et quoad forum exterius.*
55. *A voto qua excusent: Metus.*
56. *Qualis.*
57. *Dolus.*
58. *Error. Qualis.*
59. *Effectus voti est obligare in conscientia.*
60. *Sub peccato mortali.*
61. *Nisi vovens aliud expresserit.*
62. *Potest quis etiam ex materia levi vovendo obligari ad peccatum mortale.*
63. *Transgressiones leves an ponant gravem, si iterata.*
64. *De Voto dubium an obligetur.*
65. *Quid si quis certum quidem voti emisit, incertus tamen qualiter Eius.*
66. *Quid si quis opinetur.*
67. *Quid dicendum de dubitante.*
68. *Votum emitti debet intellectum habente.*
69. *An vovens praevidem impedimentum tenetur praevinire.*
70. *Quid si per vovendum non stet.*
71. *Causa voti cesserit.*
72. *Prestationi periculum quod si sit annexum.*
73. *Votum obligat voventem, non alium.*
74. *An parentes vovendum obligant filios.*
75. *An defuncti heredes.*
76. *Sic quoad realia.*

CO
De F
er Bene
G

77. *Quomodo hoc procedit in votis mixtis.*
78. *Ad vota realia & mixta tenetur heres ipso jure.*
79. *Limitatio quoad mixta.*
80. *Liberant à voto quinq.*
81. *Defectus materia.*
82. *Conditionis.*
83. *Quod si oriatur ex votantis fraude.*
84. *Irritationis defectus.*
85. *Quid si fiat sine causa.*
86. *Potestas irritandi quoad duplex.*
87. *De Dominica.*
88. *Patria.*
89. *Quid, si votens ante pubertatem deli sit culpax.*
90. *Quid, si vota puberum sint nociva.*
91. *De non nocivis quid.*
92. *Non irritat Emancipati vota pater.*
93. *Potestas conjugalis quousq. se quoad votum extendat quoad maritum.*
94. *Quoad uxorem.*
95. *Ex potestate Spirituali irritat votum Pontifex.*
96. *Prelatus.*
97. *Prelata.*
98. *Quid isti de votis Novitiorum.*
99. *Commutatio liberat à voti obligatione.*
100. *Cujus auctoritate fieri potest.*
101. *Quale tali modo commutari potest Votum.*
102. *Quid in commutatione Voti personalis observandum.*
103. *Qua libertas commutantis.*
104. *Dispensatio etiam à Voti obligatione liberat. Et quid dispensare.*

vinus
ersonis
Ecclesiam

IV.

32

105. *Dispensandi potestas est in Ecclesia.* 111. *Parochi quando.*
 106. *Competit Pralatis, & Quibus.* 112. *An Pontifex supra uno ex essentialibus Votum solemnibus.*
 107. *Summi Pontifici.* 113. *Ad dispensationem praterea requiruntur iusta causa.*
 108. *Qui hic censentur subditi.* 114. *Qua illa.*
 109. *Qua Vota specialiter Pontifici reservata.* 115. *Solemne Votum impedit matrimonium.*
 110. *In quibus dispenset Episcopus.* 116. *Non Simplex.*

Votum, de qua precedenti titulo egimus, continet *Votum* à *vovendo*, id est, promittendo dictum. De quo nunc, ut à *rejus redemptione*, captatà hâc occasione, tractaturi sumus, non in specie, sed in genere.

1 *Votum* est, alicujus boni operis cum deliberatione liberè Deo facta promissio; cum animo scilicet obligandi se, ab eo, qui se obligare potest. *Valens. in parat. Decret. ad hunc tit. num. 1.*

2 Dixi alicujus boni operis, quale est, ad loca sancta peregrinari, Eleemosynas dare, c. 1. & 2. hic. Quia in promissis malis fides potius fingenda, quam servanda: *can. in malis. 22. cum seqq. qu. 4.* Et si quid voveatur, quod corpori vel animæ certum adferat discrimen, nec obligari nec acceptatur à Deo. *can. inter cetera. 22. c. fin. S. unde datur. can. 2. qu. 4. c. quando. de jurejur. Graff. decis. aur. pag. 21. num. 7. Leo in Dispensari Eccles. part. 2. cap. 11. num. 5.* Hinc etiam votum debet esse de meliori bono, quam sit ejus oppositum; ideoque non obligat votum de non mutuando, de non dando elemosynam, non ingrediendo religionem: quia oppositum Deo est gratius. *Valens. d. loco.*

Dixi cum deliberatione; id est, cum perfecta & plena animadversione ejus, quod agitur; quia nemo censetur sibi alicujus obligationem vincere

CORVINUS
De Personis
Ecclesiasticis

G

vinculum, quale est votum, imponere, nisi plenè advertat, quid agat. *licet. 6. hic. can. ult. in fin. 7. qu. 5.*

Hinc votum, quod potius ex facilitate animi, quam ex discretionis arbitrio emittitur, non est obligatorium: *c. venientis. 2. hic. c. carissimus. 11. c. veniens. 16. de convers. conjug. & fervore passionis vovens ingredi religionem non obligatur. can. Gonsaldus. 17. qu. 2. sed nec infantes, nec futuri, vovendo aut profitendo obligantur, nisi puberes, aut sanæ mentis effecti votum ratum habuerint. c. sicut tenor. 15. de regular.*

Dixi liberè; quia votum metu vel dolo injurioso extortum est irritum: *c. 3. hic. c. 1. & 2. de his quæ vim metu sive &c. Idem dicendum de voto per errorem emissio. Vallens. d. loco num. 3.*

Dixi; Deo facta promissio; 1. Quia homini factum non est votum: *c. magna. 8. ibi, vovete & reddite Domino Deo vestro. hoc tit. 2.* Quia in voto queritur Deo obligatio; & proinde, etiamsi nemo sit, qui recipiat votum, obligatur tamen qui emisit votum. *can. quod Deo. 33. qu. 2. c. ex parte. 18. in fine. de censib. Canis. hic. num. 1.*

Dixi facta promissio; quia ex sola bona faciendi conceptione seu proposito, quantumvis deliberato, non obligatur quis tanquam ex voto, si ad promissionem ulterius non sit progressus: *can. qui bona. 17. qu. 1. nequidem eo casu, quo quis religionem intrat animo & proposito in ea perseverandi, ac perpetuò Deo inserviendi. c. litteraturam. 3. hic. fac. c. statutus. c. consulti. de regular. c. beneficium. eod. in 6. Navar. in man. cap. 12. num. 26. Azor. Inst. moral. part. 1. lib. 11. cap. 12. qu. 1. & seqq. de arm. tom. 1. Controv. de Monachis. lib. 2. cap. 14. Suarez. de voto lib. 1. cap. 2. vide Concil. Trident. sess. 25. de regular. cap. 13.*

Dixi, cum animo se obligandi; quia actus agentium ex intentione non operantur ultra intentionem.

Dixi, ab eo qui se obligare potest; quia non omnes voto se obligare possunt. De quibus postea.

Votum in genere est, vel *Necessarium*, sive *Præcepti*, quod fit in Baptismo, dum is qui baptizatur, Satanae & ejus operibus renuntiat, ac se fidelem fore, & divina præcepta servaturum promittit: *can. Spiritus Sanctus. 58. §. ecce. conf. 1. qu. 1. can. prima. 73. de consecrat. dist. 4. can. quædam. 17. qu. 1. can. parvuli. de consecrat. d. dist. 4. Hostiens. hoc tit. num. 2.*

vinus
personis
si Ecclesiam

IV.

32

num. 2. Leo in *Thef. fori Eccles. part. 2. num. 2.* Vel *voluntarium* sive *Consilii*; quod quis sua & libera voluntate facit, se ad id astringens, ad quod ante votum non tenebatur; ut *ad continentium, abstinendum, peregrinandum. can. 1. caus. 17. qu. 1. can. non solum, 32. qu. 8. c. magis. et.*

5 Hoc subdividitur in *Simplex* & *Solemne*. *Navar. in prac. de aliq. cap. 12. num. 32. vers. 13. Leo d. loco num. 5.* Inter quæ non est differentia quoad promissionem, quam utraque habet; nec per se essentialiter ex voti materia & ratione differunt, nec jure divino, sed solum ex Ecclesie statuto; ut patet ex *c. un. hic. in 6.* quo sublato nullum esset *solemne*.

6 *Solemne* dici, potest; vel *Generale*, quod fit publicè, *can. omnes 27. qu. 1.* certis solemnitatibus; verbi gratia, testibus aut juramento, adhibitis. Vel *Speciale*; quantum ad matrimonium post contractum dirimendum.

7 Dicitur autem *Solemne votum*, quod ex decreto Ecclesie annexum est susceptioni Ordinis sacri: ut & quod professione vel expressè, vel tacitè Religionis per Sedem Apostolicam approbatæ, *d. c. un. interveniente Superioris acceptatione, continetur. d. c. un.*

8 *Simplex* nullam requirit acceptationis solemnitatem, *Caus. h. num. 2.* sed continuo valet, sive emittatur in occulto, sive in publico. Ad quod & refertur illud, quod est religionis non approbatæ; *Valer. d. loco. §. 2. num. 1. Zaf. in comment. ad h. tit. num. 3.* Nam cum solemnitas habeat effectum suum ex statuto Ecclesie, *solemne* dici nequit, cui illud non adfuit. Non adfuit autem, nisi voto Religionis approbatæ. Ideo verò istud *votum* tenetur *simplex*, quia Ecclesia illud carens non improbat; nisi ejus animus sit vovens, ut non velit teneri, nisi in Religionis. *Zaf. d. loco num. 4.*

Itaque quamdiu ad aliquam solemnitatem ventum non est, quo voti executio accipiat initium, appellatur *simplex*; sed cum executioni ipsius per solemnitates aliquas ei rei necessarias, initium datur, tunc iam *solemne* esse effectum potest dici, *fac. d. un. hic. in 6. Cucchus Inst. in Canon. lib. 2. tit. de voto.*

9 Est & *Votum* aliud *Expressum*, aliud *Tacitum*. Illud est, quod verbis discretis exprimitur. Hoc quod eo fieri censetur, quò volumus aliquam

CORVINUS
De Person. Ecclesiast.
et Bene
G

aliquid agitur, cui ipsum votum est annexum vel supponitur. Ut quod
 fit sacri ordinis susceptione. Illud *Explicitum*; Hoc *Implicitum*.
 Item Aliud est *Votum Personale*, quo officium personale, vel actio
 voventis promittitur; ut *jejunare, peregrinari ad sepulchrum Domini*,
c. 2. hic. De quo D. Hieronymus *in epist. ad Paulam* 19. allato D. Pau-
 li exemplo. *Et in epist. ad Eustochium* 27. ubi. *Cujus enim Gentis homines ad*
sancta loca non veniunt? ad limina Apostolorum; De quo Nicolaus I. *in*
epist. ad Imperator. Michaellem Calixtus I. in Concil. Rom. can. si quis
Rampetas. Et can. illi qui 24. *qu. 3. c. 7. in prima compilat. ad loca in qui-*
bus Martyrum reliquie condite. De quo D. Augustinus *epist. 137. lo-*
quens de B. Felice. Aliud *Reale*, quo promittitur res externa, ut pecu-
 nia, aut aliquid pecunia aestimabile, ut dare eleemosynam: *Vide c. ex*
parte. l. 8. de censib. Aliud *Mixtum*; quod partim actiones hominis con-
 ternet, partim rem sive præter actionem actionis, etiam reales sumptus
 includit; cujusmodi est *peregrinatio ad aliquem locum, cum alicujus rei*
collatione. Zas. d. loc. num. 5.
 Est & aliud *Votum Absolutum*, Aliud *Conditionale*, ad certam con-
 ditionem relatum; veluti, *si quid contigerit.* Illud est *purum*, statim
 obligans, & vel *Perpetuum*, vel *Temporale*, restrictum ad certum tempus,
 quod non egreditur. *Conditionale*, (non obligans nisi existente conditio-
 ne, c. *verum. de condit. oppos. can. un. 32. qui sin. sunt à contr. sensu.*) ite-
 rum aut est *Pœnale*, quo promittitur pœna in casum, quo quid faciat aut
 non faciat vovens; aut *Non pœnale*, quo se obligat in casum, quo con-
 trahitur, aut similem.
 Dividitur etiam in *Adfirmativum*, quod continet professionem
 positivam de agendo aliquid, ut *peregrinando, orando, &c.* & in *Nega-*
tivum, quod cadit in omissionem actus; ut non fornicandi, nubendi,
 &c. *Hosien. in sum. hic. Canis. eod. Zas. d. loc. num. 5. vid. Domin. Soto*
lib. 7. de Just. & Jure. qu. 2. art. 5.
 Est & *Votum aliud Commutabile* in aliud pro eo, quod quis vovit, &
 redemptione factâ; aliud *Incommutabile*, c. 1. & 2. hoc tit.
Vovere possunt vota personalia personæ omnes, cujuscunque sint ge-
neris, qualitatibus, aut sexus, nisi nominatim prohibeantur. l. cum Prætor.
12. in princ. ff. de judic.

Tt

Pro-

Votum
 Personale
 & Ecclesiasticum
 IV.
 32

15 Prohibentur usum rationis non habentes; ut pueri; c. significatum. I. c. cum virum. 12. c. cum firmus. 14. de regular. Soto d. lib. 7. qu. 3. art. 2. furiosi; nisi postea sanæ mentis effecti ratum habuerint, quod in futurum voverunt: c. sicut tenor. 15. eod. amentes alii, ut dormientes, phrenetici, ebrii, pro tempore & dispositione, qua ratione uti nequeunt. Zaf. d. loco num. 7.

16 Illi quibus est rationis usus, quantum est ex parte sua, vovere possunt, si aliunde non impediuntur. Suarez. de voto. cap. 2. Zaf. d. loco num.

Impediuntur omnes illi, qui, quoad votum emittendum, non habent voluntatem liberam: ut sunt;

17 Episcopi, & Prælati iis Superiores; qui sine auctoritate Papæ non possunt se adstringere voto, per quod dissolvatur vinculum matrimonii, quod inter ipsos & Ecclesias, suas sponsas, esse intelligitur, ut est monasterii ingressio. c. nisi cum pridem. de renunt. c. magna. hic. c. non oportet. 2. dist. 5. de consecrat. nec alii, per quod Ecclesiis suis præjudicetur graviter: ut votum peregrinationis, per quod ab Ecclesiis suis divitiis deberent: d. c. nisi cum pridem. in fin. cap. sicut nostris. & ibi Gloss. in v. damnum. de jurejur. d. c. magna. Leo d. loco num. 9. Quamvis inferiores, ut Decani Præpositi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Curiones & Clerici alii possint. c. licet. 18. de regular. can. dua. 19. qu. 4. Azor. Inst. moral. lib. 11. cap. 16. qu. 2. & 3. Suarez. d. lib. 13. cap. 4. num. 4. & seqq. Pen. Greg. syntagm. jur. univ. lib. 24. cap. 10. num. 10. quod per eorum vota non ita præjudicetur Ecclesiis. Petenda tamen licentia à Superioribus, quâ non obtenta, nihilomagus impediuntur. c. admonet. de renunt. ubi Gloss. Leo d. loco num. 11. arg. d. c. licet. 18. Azor. d. cap. 16. qu. 1. Zaf. d. loco num. 8.

18 Monachi pari ratione prohibentur præstare vota, quibus mortali regula, ad tempus, vel in perpetuum, eximantur, alia, si per regulam non sint prohibita, possunt, sed consentiente Abbate; sine cuius licentia nihil iis agere licet, cum in illius arbitrium voluntatem suam conjecerint. d. can. voto. c. monacho. 20. qu. 4. can. noluit. 33. qu. 5. Azor. d. cap. 16. qu. 4. Suar. d. lib. 3. cap. 6. num. 7. cum seqq. Thomas 2. 2. qu. 11.

CORVINUS
De Personis
Ecclesiasticis
Glossa

Artic. 8. Similiter nec Abbates votere possunt sine suorum Superiorum
concentu. Abbas in c. scriptura. in fin. hoc tit. Leo d. loco num. 10.

Impuberes absque tutorum auctoritate etiam prohibentur, ne fa- 19
cilitate ducti, ad facienda, quae illis non expediunt, procedant. can. 1.
& 2. caus. 20. qu. 2. Venator in Analsi Jur. Pontif. hoc tit.

Uxoribus & maritis non conceditur emittere vota, quae matrimo- 20
niali nexui aliquomodo repugnant; ut sunt peregrinationis (Excipie-
batur olim ultramarina, si essent potentes; Innoc. in c. scriptura. num. 3.
de vir. autem. hic. & ibi Abb. num. 8. Leo d. loco num. 12.) abstinentia
& continentia; Sicut enim mariti, ad conjugalia debita reddenda obli-
gantur, ita maritae virorum arbitrio subjectae sunt, ut ipsae nihil, quod in
maritorum damnum cedat, absque eorum licentia praesumero, vel ten-
tere possint. can. noluit. can. manifestum. 33. qu. 5. can. si tu. dist. 72. c.
quidemus. de divort. Azor. d. loc. qu. 10. Suar. d. lib. 3. cap. 6. num. 26.
Laf. d. loco num. 10. Venator d. loco.

Servorum vota, cum ordinariè pendeant à voluntate Domino- 21
rum, habent & ordinariè conditionem, si consenserint; nisi sint tales
status, quibus nullatenus praedicitur dominis. can. si quis servum. 17.
qu. 4. can. ex antiquis. dist. 54. c. mulierem. c. relatum. de sent. excommun.
Laf. d. loco num. 11. Venator. d. loco. l. 2. §. 1. ff. de pollicit. Nec enim
quis potest firmiter se per promissionem obligare ad id, quod est in
potestate sua. Quoniam qui est subjectus alteri, quoad ea in quibus est
libectus, non potest facere quod vult, sed ab alterius dependet volunta-
te; quapropter ea ratione votere non possit. sec. S. Thom. 8. qu. 88.
ar. 8. Leo d. loc. num. 14. & 15.

Filiorum familias vota absoluta non alià tenent, quàm si sint 22
aduum, qui debitam parentibus obedientiam non impediunt; ut sunt
oblationes preceptorum, actiones honestae: aliàs si derogent parentum
voti, habent conditionem, Si consenserit. can. 1. & 2. caus. 20. qu. 2. d. l. 2.
& 1. Laf. d. loc. & num. Angel. de Clavasio. in sum. §. votum. 2. num. 7.

Realia vota non sunt valida nisi eorum, qui habent facultatem li- 23
beram utendi & disponendi de rebus.

Quomodo Religiosorum, qui non habent proprium, vota realia 24
non

VITUS
PERSONIS
f. Ecclesiam

IV.

32

non tenent, nisi vel habeant administrationem, aut vovent sub conditione, si id concedatur.

25 *Praelati*, quibus est bonorum administratio, ex vi sui muneris, ut habent licentiam dandi elemosynas, ita & vota valide juxta eam mensuram emittendi, quæ ad summum includent conditionem negativam. *Nisi à Superiore impediatur.*

Religiosi administrationem non habentes, absolute, vota recte emittunt inutiliter, quia vovent de re aliena, ut licentiam petere non teneantur. De re tamen, quam consumere possunt in usus suos, ut utendo parca & sibi subtrahendo vovent facere elemosynam, à Superiore tenentur facultatem petere, quod votum hoc sit de re bona & non indecens; ut illi subsit conditio, *Si detur licentia*; quæ ideo petenda.

26 *Marita* non recte vovent vota absoluta de bonis communibus & dotalibus absque maritorum licentia, cum eorum administratio deponatur ab iis. Vovent recte de parafhernalibus; cum ipsi sint proprii & liberum eorum habeant usum.

27 Quod & obtinet in *filiiis familias*. Nam quoad bona paterna non recte vovent; vovent recte quoad propria, ut castrensia vel qualia quia de iis liberè disponunt. *Petr. Gregor. d. lib. & c. num. 11. in fin.*

28 *Servi* cum proprium non habeant, voventes non tenentur; cum de Dominorum suorum rebus non disponant: *Zaf. d. loc. num. 12. per tot.* nisi aliquid de servitio suo iis permissum sit acquirere & disponere.

29 *Voveri* debent *actus humani*; & quidem *qui sunt in Voverum potestate & boni, & meliores quam eorum opposita.* *Qui in voverum potestate*; dico; cum sit stultum promittere, quod nequeas præstare, & impossibile nulla obligatio; *l. impossibilem. ff. de reg. jur. & ad impossibile nemo obligetur. l. cap. nemo potest. eod. in 6.* Debet enim voluntas sibi imponens obligationem, recte rationi esse consentanea, qualis non est ad impossibile obligans. Ergo in totum nulla. *vide Suarez. lib. 2. dd. voto. cap. 1. & 2. Less. de Just. & jure. lib. 2. cap. 40. dub. 5.*

30 Si tamen *sub voto impossibilis rei contineatur quid possibile*; erit distinguendum cum *Zoesio* hic. *num. 14.* Utrum *principalis & totalis voti materia sit totum* aliquod moraliter, & secundum ordinarium utitur *indivisibile*: an vero sit *totum divisibile*, cujus partes aliquæ sint possibile.

CORVINUS
De Person. Ecclesiast.
et Bene
G

les. *Priori casu ad nihil obligatur vovens, ex ratione dicta. Nihil faciente, quod accessoria sunt possibilis; quia non sunt per se sub promissione, sed tantum accidentia, quorum, non stante principali, usus est nullus. Alio casu catenus obligatus vovens, quatenus partes sunt possibilis, quia quantum in se fuit, intendit se obligare ad promissum, quatenus fieri potest. Ut cum tantum pars fieri possit, obligetur saltem ad partem; Cum, ut alie res, ita & votum, pro parte valere & non valere possit; secundum regulam. Quod utile per inutile non vitietur; & Si non valet quod ago, valeat, ut potest. c. un. §. i. in fin. de desponsat. impub. in 6.*

Quod si actui principali possibili adjectus fuerit modus impossibilis, 3 i obligabit, & servandum erit Votum in actu principali, secluso modo. Quod accidentia substantiam non destruant, & impedimentum in accessorio non redundet in principale. c. un. de consecrat. Eccles. in 6. Nisi vovens intentio fuerit non obligari ad actum principalem sine modo adiecto. Vid. Navar. in sum. cap. 12. num. 43. Suar. d. lib. 2. de voto, cap. 2. num. 10. & 11.

Ex his queritur, utrum valeat Votum non peccandi: Dicendum non 3 2 valet de non peccando venialiter; quia cum auxilio ordinario non est in peccato nostra vitare omne peccatum veniale. Si tamen vovens intendet se obligare ad vitanda omnia non absolute, sed quantum divina gratia consequi possit & humana permittit infirmitas; catenus esset validum. Sicut dum quis vovet jejunare per totum annum, tenetur omnibus diebus, quibus potest, etiam si explere nequeat annum totum. Votum tamen de non peccando mortaliter valet; quia cum auxilio divino omne peccatum mortiferum caveri potest per totam vitam. vide Less. d. lib. 5. cap. dub. 5. Zaf. d. loc. num. 15. ex Navar. d. cap. in Azor. d. mor. al. lib. 11. cap. 13. num. 4.

Ob eandem causam valet Votum de non mentiendo jocosè, de ca-3 3 vanda distractione voluntaria, & similibus, quae divino auxilio caveri possunt: Quamvis ob rei difficultatem & periculum expediret vota hujusmodi commutari. Lessius d. loco & dub. num. 33.

Actus debent esse boni, qui voventur; Nemo enim aliquod pro-3 4 mutat alteri, nisi quod ei gratum est; Deo autem nihil gratum, nisi quod bonum, seu honestum est. c. in malis. 24. qu. 4.

VITUS
PERSONIS
Ecclesie

IV.

32

- 35 Per *actus* etiam intelligendi *eorum abstinentia*; ut jejunia, pauperes, castitates, continentia, & huiusmodi. Res enim externae capus cadunt sub votum, quatenus subiunt liberis actionibus vel omnibus nostris. Est ergo votum immediatè de actionibus vel omnibus nostris. *Lessius d. loc. num. 34.*
- 36 Ex dictis sequitur *opera* quae ex se *mala sunt voveri male*: Nempe enim obligari potest ad actum malum; tanquam ad impossibile. *Lessius. 15. ff. de condit. instit. sive sit malus ex objecto, sive ex fine, sive ex adjuncto*: quatenus tamen adjunctum est motivum principale & primario in tantum, quia reddit actum malum, atque ita votum nullum tanquam cadens in materiam incapacem. Nam si intentio primaria feratur in actum bonum, adjunctum verò sive circumstantia secundaria intentione sit mala, tunc oritur obligatio ad actum, circumstantia rejecta, Quia tunc revera duo sunt vota; quorum prius principale bonum est & implendum, alterum secundarium malum, & inutile, *utile per inutile vitietur*. Sic vovens, *Si in duello liber & servus evictus* tenetur; *Lessius d. loco num. 38.* contra non tenetur, vovens in casu quo ex injusto bello victor revertetur. *Zaf. d. loco num. 16. Suarez. d. lib. 2. cap. 5. num. 22. cum seqq.* Vel vovens *elemosynam ad obtinendam vitam*: *Lessius d. loc. num. 35.*
- 37 *Opera indifferentia*, id est, quae neque habent rationem honestam neque pravi, *non cadunt sub Votum*: Quia Deo non magis est acceptum illud fieri quam omitti; verbi gratia: Vovisti Deo te nunquam ingredi domum Petri, eo quod ibi suppetant rationes peccandi; Votum est ratum, quamdiu illa durant; iis sublatis definit obligatio voti; quae tunc abstinere, coepit res esse adiaphora. *Lessius d. loc. num. 40. Zaf. d. loco num. 17. Navar. d. cap. 12. num. 28. Azor. Inst. moral. parti. 1. lib. 1. cap. 13. qu. 5. Suarez. d. lib. 2. cap. 4. num. 3.*
- 38 Nec sub *votum cadunt, necessarioventura*; cum esse debeat circumstantia rem quae eligi aut omitti possit: electio autem nulla circa ea, quae necessarioventura. Et hoc quatenus absolute sint talia; nam si habeant usum liberum, dicendum erit aliud. *Zaf. d. loco num. 18. ex Suarez. d. lib. 2. cap. 1. num. 6.*
- 39 Tertio requiritur, ut *id, quod vovetur sit melius, quam ejus oppositum*.

CORVINUS
De Person. Ecclesiast.
et Bene
G

tum, seu contradictorium. Ratio est, quia nemo promittit alteri aliquid, cui gratius esse novit illud non fieri; & si tale quid contingat promitti, non est servandum; nam & ipse promissarius cupit non servari. *Less. d. loco num. 42.*

Hinc sequitur votum de non mutuando, de non danda cleemofyna, de non ingredienda religione, de non suscipiendis ordinibus sacris non valere: quia contrarium ejus quod vovetur, est ex se melius & Deo acceptius. *Lessus d. loco num. 43. ut & supra diximus.*

Idem dicendum de voto matrimonii incundi. *Suarez. d. lib. 2. cap. 41* *Zaf. d. loco num. 25.* Et si enim possit se quisquam voto adstringere ad hanc vel illam pauperulam propter Deum ducendam suppositam matrimonii constanti voluntate; (eo quod perseverante hac voluntate melius sit hanc ducere, quam aliam) si tamen eam voluntatem deponat, voti obligatio desinit, quia absolute melius est nullam ducere. *Less. d. loco num. 43.*

Sed utrum votum matrimonii ad vitandam fornicationem sit validum, controvertitur. Affirmant Cajetan. art. 2. Navarrus cap. 12. num. 43. *Suarez. d. cap. 19.* alique: Sed verius non esse validum absolute, ita ut non possit reddi irritum: sed solum ex suppositione; Nempe supposito quod ipse nolit aliis adversus tentationes carnis uti remediis: tamen enim obligabitur ex voto ad matrimonium contrahendum. Quod si tempore illum, excuriat, cessabit voti vinculum: quia jam est melius non ducere uxorem. *Lessus d. loco num. 44. vid. Azor. d. cap. 13. post. 9. Suar. d. cap. 19. Zaf. d. loco num. 23.*

Parimodo irritum est Votum, si quis *voveat se non amplius votu* 43 *Melius enim absolute est vovere, quam non vovere. Si tamen aliquis facilis sit nimis ad vovendum, is validere vovere poterit, se imposterum non voturum; nisi re prius cum prudente Confessario communicata: aut nisi verbo vel scripto expresserit se vovere. Sylvest. in tom. verbo Votum. 2. quest. 7. Angelus. volum. 3. qu. 4. Richard. dist. 38. circa fin. Less. d. loco num. 45.*

Quod de hoc & matrimonii voto diximus, obtinet in quocunque 44 *statu pro inferiore, quod scilicet non obliget inhabilitando ad statum majoris & perfectioris ordinis. Suarez. d. loco num. 23. Zaf. d. loco num. 23.*

An

Votum
personis
f. Ecclesiam
IV.
32

45 An autem actus boni, qui sunt sub præcepto, cadant sub votum, quaeritur. Non desunt Doctores, qui negant. *Primò*; Quia votum à Doctoribus definitur *Promissio melioris boni ex deliberatione firmata*; ut fert D. Thomas in 4. dist. 39. qu. 1. art. 1. Nomine melioris boni; intelligunt opus consilii, seu supererogationis: ut patet ex D. Thoma in 1. qu. 88. *Secundò*, quia D. Thomas *ibid. & art. 2.* indicat huiusmodi vota esse solum analogicè vota, vocatque ea vota communia, quia non propriè dicantur vota, sed ratione solum generali; sicut ea quæ fiunt in baptismo. *Consentit Richard. d. dist. circa 3. princ. qu. 2. Tertiò*, quia ad opera præcepta jam sumus obligati, & quidem sufficienter ergo frustra voti nobis inducimus vinculum. *Jason. in l. qui bis. 6. de verbor. oblig.* *Quartò*; Si votum inducit vinculum novum supra vinculum præcepti, ergo etiam inducet novum vinculum obligationis prioris voti, & ita, si homo centies idem voveat, tenebitur obligatione centuplici, & violando votum peccabit centuplum. *Zabiena in verb. Votum.* Vera tamen est sententia, laudabiliter voveri possit aliquid, ad quod præcepto naturali vel positivo jam adstricti sumus, per tale votum vinculum induci novum. D. Thomas qu. 88. art. 2. *Ea opera, sine quibus salutem consequi non possumus, cadere sub votum, quatenus voluntate fiunt.* Idem docet Durandus in 4. dist. 38. qu. 1. *Richardus d. dist. 38. qu. 3.* alique Doctores. Probatur: *Primò*; *Genes. 28.* ubi Jacob vovit Votum Domino, se illum solum culturum pro Deo, & nullos Deos alienos. *Secundò*; Ex perpetuo usu Ecclesiæ, ubi non solum vovetur abstinentia à nuptiis, quæ non est præceptum, sed etiam ab omnibus voluptatibus illicitis extra matrimonium, quæ præcepta omnibus. *Lessius d. loco num. 47.* *Tertiò*; Possumus adhibere obligationem obligationi, & unam rem ex duabus causis debere; *contrario. 14. Inst. de legat.* licet obligationi unica satisfiat præstatione. *l. qui bis. 18.* Quod præcipue procedit, si posterior obligatio addatur voluntatem. *Jason. in d. l. qui bis. 18. in fin.* ut in casu præsentis, in quo voluntas determinatur amplius, & in proposito redditur immobilitas, veluti *audiendi Missam die festo, non comedendi carnes die Veneris.* Quæ casu contraveniens non tantum reus erit præcepti, quod violavit, sed etiam fractionis voti. Et qui vovit castitatem, fornicando non solum

COR
De F
er Bene

G

peccatum fornicationis, sed & voti violationem. Suarez. d. lib. 12. cap. 6. Zaf. d. loco num. 19. Deniq; Opera præcepta Deo sunt gratissima: Ergo possunt illi promitti, & hæc promissio novum adferet vinculum. Lessus d. loco & num. Qui ibid. responderet ad contraria.

Ex dictis patet, omnia ea sub votum cadere, que gratiora sunt Deo, 46 quam ipsorum opposita; qualia sunt omnia opera consilii; siue consistant in actione positiva, siue in aliqua omissione. Similiter opera omnia præceptorum; quanquam hæc non dicantur ita propriè materia voti, licet ea que sunt consilii. Lessus d. loco num. 49.

Consuetudinem vivendi, esse laudabilem Catholica est sententia, eoque fide tenenda. Probatur ex Scripturis. Psalm. 75. vers. 17. *Vovete & reddite Domino Deo vestro*, Isaiæ 19. vers. 21. *Colent eum in hostiis & in numeribus, & vota vovebunt Domino, & solvent.* Quod de Christo videtur esse intelligendum. Deuter. 23. vers. 21. *Cum votum voveris, non turbabis reddere: quia requirit illud Dominus. Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri absq; peccato eris.* Jacob vovit Deo decimas, quas ipse non præceperat; Genes. 28. vers. 20. *cum sep. nec dubium, quin etiam solverit.* David Psalm. 131. *vovit ædificatæ templum. vide Levit. 27. per tot.*

Non audiendi ergo Deut. 12. vers. 3. & alibi, ut Ecclesiast. cap. 5. Num. 30. Hæretici hujus temporis; qui docent non tantum non esse bonum Deo aliquid, quod non sit præceptum, vovere cum opinione cultus, sed esse impium. Ratio illorum est, quia nihil usurpandum ad cultum, nisi quod Deus præceperit: alioquin committeretur *ἑτεροθρησκεία*, id est, *voluntarius cultus & superstitio*: Quam reprehendit Apostolus ad Colossens. 2. vers. ult. Ita Calvinus lib. 4. Inst. cap. 13. num. 1. 2. 3 cum seqq. & Lutherus de libert. Christiana &c. Unde inferunt vora Religiosorum esse impia & irrita. Error non minus stolidus, quam absurdum nihil posse usurpari ad colendum Deum, nisi quod est præceptum: Contrarium enim constat exemplis scripturæ, & aperta ratione. Omne enim opus bonum fieri potest in honorem Dei. Imò quo aliud minus est debitum, eò magis idoneum ut offeratur Deo, juxta illud, *voluntarie sacrificabo tibi.* Neque illud est *ἑτεροθρησκεία*, de qua Apostolus, quia sic tantum appellatur is cultus Voluntarius, qui sola

Uuu con-

Votus
personis
f. Ecclesiæ

IV.

32

constat humana inventione. Quod dupliciter fieri potest. Vel enim defertur Numini falso, & ab hominibus invento, qualis est cultus Angelorum, quem Platonicus & Simon Magus Eis deferebant, de quo dicit Apostolus, ut interpretantur plerique: vel exhibetur Deo vero; sed non est idonea cultus materia; ut si quis à cibis absteineat, quod patet eos natura sua, vel veteris Legis decreto, etiam in Testamento novo immundos: vel ponat vim in re aliqua vel circumstantia, in qua non est ponenda, ut in numero, in situ, in colore. Vide Less. d. lib. 8. cap. duob. num. 50. cum seqq.

47 Porro ad obligationem Voti tria sunt necessaria; scilicet, *deliberatio, propositum & promissio.*

48 Constituitur igitur *Votum*, si vovens non tantum in animum intendat & proponat, se aliquod bonum opus peracturum (Hoc enim casu tantum dicitur *Votum initiatum*: & non obligat. *c. literaturam. hoc tit. arg. l. obligationum. ff. de obligat. & action. l. si ego. C. de reb. credit.*) sed etiam si id certo, deliberato, & firmo animi proposito stabiliat. (Quo casu *confirmatum* dicitur; & obligat. *ad locis. c. consulti. de regular. c. 4. eod. in 6.*)

49 Quæ quidem forma *simplicis Voti* est; Si verò huic solemnitas quadam, ut professio tacita, vel expressa, secundum formam supra præscriptam, vel Sacri Ordinis susceptio accesserint, *solemne* efficitur. *Abb. ad c. 3. hic & text. in c. un. eod. in 6.* Nam per sacri Ordinis susceptionem, & professionem tacitam vel expressam, votum continentia solemnizatur (ut dicitur) Canonibus est traditum. *can. placuit. dist. 22. can. nullum. dist. 28. Venator. in Analys. ad hunc tit.*

50 Accedit forma aliquando & promissioni voti, *juramentum promissorium*; Quod certe efficacius reddit promissum inter homines. Nam quod ad Deum pertinet, inter loquelam simplicem & juramentum Is non constituit differentiam. *can. 12. juramenti. 22. qu. 5.*

Dixi, *promissionem* oportere esse *deliberatam & maturam. sec. can. de viduis. 27. qu. 1.* Etenim quod sine discretionem vel temerè emittitur, non est obligatorium. *c. venientis. 2. hoc tit. c. Carissimus. c. veniens. de convers. conjug. c. ad nostram de regular.* Abest enim rationis usus.

51 Hinc controversatur utrum *votum subita animi perturbatione emissa*

COR
De F
er Bene

G

non teneat? Nonnulli Doctores negant; cum Gloss. in c. dudum. 20. verb. calore. de convers. conjugator. & Eorum opinio vera, quando talis est animi perturbatio, sive propter iracundiam, sive alium animi motum, per quam omnino rationis cesset iudicium, ut commissum nequidem poneret peccatum. c. sicut. 15. de regular. Si contra, valet votum. fac. c. sicut ex literis. 13. de iurejur. Nec obstat c. 3. hic. Nam in eo Votum nullitas non causatur ex perturbatione, verum ex defectu promissionis. Gutierrez. lib. 2. Canonic. quest. cap. 22. num. 14. Azor. d. lib. II. cap. 15. qu. 5. Sanchez. de matrim. lib. 1. disput. 8. num. 8. Zaf. hoc tit. num. 28.

Pro animi deliberatione, & sic pro Voto presumitur indubio. Quia 52
qualitas qua homini inest, ut est animi deliberatio, semper adesse presu-
mitur; Sancb. d. disput. 8. num. 10. & ad decal. lib. 4. cap. 1. num. 12.

Dixi, propositum adesse debere. Nam si intentio se obligandi non 53
sit, frustra emittitur Votum. Gloss. in d. c. dudum. 20. Omnis enim
obligatio in interiore fundatur consensu, quo deficiente, non potest di-
a exterior actus validus. Imò intentio interior, implicitam ponit re-
pugnantiā, cum promissione exteriori, qua absolute denotat obliga-
tionem, sive qua frustra est promissio. Tollit autem obligationem ab-
solute, intentio interior, ut talis videatur ludere Deum, & propter irre-
verentiam, non sine peccato. Zaf. eod. num. 30.

Licer tamen non obligetur in conscientia; quia obligatio est ex 54
Voto vero; quod hic non est. Unde in eius foro ad Voti observatio-
nem cogi non potest. Potest in foro exteriori, si de Voti emissionem
coniter. Quia de occultis non iudicat Ecclesia, nec dicenti, se Votum
fide emisisse, tenetur fidem habere; cum alleget propriam turpitudi-
nem. fac. c. per tuas. 10. de probat. Suarez. lib. 1. de Voto. cap. 3. num. 6.
& 12.

A Voto excusant ea omnia, qua solent voluntati libera obesse, & 55
pationes, & consensum impedire; veluti, metus, deceptio, dolus, er-
ror, & similia. per rot. caus. 22. qu. 4. Petr. Gregor. in syntagm. jur. univ.
lib. 24. cap. 10. num. 12. vers. proinde.

Metus, ut Voti effectum impediatur, debet esse iustus cadens in con- 56
stantem virum, gravis alicujus mali, proveniens ab actione hominis in-
jurio.

Uuu 2

VITUS
PERSONIS
s. Ecclesiam
IV.

32

juriosa, & quidem directe ad extorquendum Votum. *c. 1. de his que vel metu.* Nam causatus ex imminetia mali provenientis ex causis naturalibus; ut ex gravi morbo, naufragii periculo, mortis ob committum crimen, Voti obligationem non impedit; *Navar. in sum. cap. 12. num. 42.* cum non tollat libertatem. *Zaf. hic. num. 34. Suarez. d. lib. 3. cap. 7. num. 10. & passim.* Ut nec impedit metus reverentialis. *Qui Clerici vel vovent.* Cum & is non cadat in constantem virum. *Abbas in c. cum virum. num. 8. de regular. Covarruv. de matrim. part. 2. c. 3. §. 6. num. 7. & 8.* Nisi adsint minæ aut alia violentiæ incussio, quæ libertatem auferendo causarent metum justum. *can. puella. 20. qu. 1. ca. presens. 20. qu. 3. vid. Sanchez. de matrim. lib. 4. disp. 6. qu. 2.*

57 *Deceptio & dolus* an Votum reddat irritum, an verò non; non expeditum. Videtur dicendum quod non: Nam in *d. c. dudum. 20. de convers. conjug.* dolo ad vovendum inducta dicitur valide vovisse. *Gloss. & Abbas ibid.* Et Gloss. fin. in *c. cum dilectus. de his que vi vel metu.* tradit, quod in spiritualibus, etiam si dolus causam det contractui, tamen dolum passio non subveniat. Quod & ipsum adfert Gloss. 2. *can. constituit. 20. qu. 3.* dans in illo diversitatem inter metum & dolum, quod in Jure Canonico ille faciat contractum irritum, non hic. Verum hæc non procedunt ita simpliciter; Ratione enim erroris sive ignorantia, causata per dolum, occultatur objectum Voti: at eo occultato, non potest in illud voluntas ferri, quia nihil volitum, nisi præcogitatum. Ita ut hic non tam sit considerandus dolus, quam ignorantia, sive erroris ratio ejusve conditio, utrum sit circa substantiam Voti, causam finalem, an impulsivam, an levis, aut gravis. *Zaf. d. ibi. n. 3.*

58 Votum per ignorantiam proprietatis ejus & conditionis substantialis emissum non valet; utpote non voluntarium, cum non possit fieri voluntas in incognitum. *vide Zaf. d. loc. num. 39.*

Videtur idem dicendum, si versetur error circa substantiam non levem, sed gravissimam juxta qualitatem rei, ita ut videatur moraliter pertinere ad substantiam. *Zaf. d. loco num. 40.*

Error etiam circa causam propriam & finalem & quasi rationem formalem ad vovendum moventem votum facit irritum. *Cum tunc*

COR
De F
et Bene
G

Subiectum substantiale Voti, & consequenter deficiat intentio. *Zaf. d. loco num. 41.*

Aliud dicendum, si error sit circa causam impulsivam aut occasionem: quia tum non deficit consensus, atque ita Votum valet. *fac. l. magna. 14. de convers. conjug. Yraquel. in tract. Causa cessante. limit. 15. num. 5. vide Sanchez. de matrim. lib. 10. disp. 9. & Suarez. de Voto d. lib. 1. cap. 11. num. 4. Zaf. d. loco num. 42.*

Nec vitiat error causae, non tangens substantiam, Votum solemne. *Vide Sanchez. d. disp. 10. num. 20. Zaf. d. loco num. 44.*

Effectus Voti sunt duo: Primus est inducere obligationem in consci-
entia. Vota enim Deo rite facta sunt exsolvenda. *Jubet hoc Lex Civilis. l. 2. ff. de pollicit. Et scriptum in Leg. XII. Tabular. teste Cicerone lib. 2. de Legib. Sancte Vota reddunt. Quare & Voti causa solvendi dicitur Magistratui exire provinciae fines, dum tamen non abnoctant; quod alioquin erat vetitum: *L. illud. 15. ff. de offic. Praesid. Jubet Jus Naturae: utpote quo aequum, quae placita sunt, servari: l. 1. ff. de pact. l. non innoctem. C. de transact. & grave est fidem fallere; l. 1. ff. de constit. pecun. Et multo magis impium fidem irridere datam Deo: *Jubet hoc Jus Divinum; in locis allegatis: Jubet Jus Pontificium. caus. 17. qu. 1. per tot. & tit. doctis. & eod. in 6.***

Ex quibus patet violare Votum esse ex genere suo mortale peccatum; quia est contra reverentiam Deo debitam, & notabilem quandam vitium continere ejus contemptum. Ex parvitate tamen materiae, vel inmadverfionis defectu, inducet ejus transgressio tantum peccatum veniale. Ratio; Quia votum de re aliqua non obligat aliter, quam lex a Deo vel Ecclesia circa eam lata. Lex autem circa materiam exiguum non obligat sub mortali: Est enim generalis Regula, ut secundum materiam judicetur peccatum. In moralibus autem parvum reputatur quasi pro nihilo; & quod minor est materia praeccepti, eodem minor reverentia committitur contra praecipientem. *Zaf. d. loco num. 46. Sanchez. lib. 5. de voto. cap. 4. & 5. Sanchez. in praeccepta Decal. lib. 4. cap. 11. num. 5. Less. d. tract. de just. & jure. lib. 2. cap. 40. dub. 7. per tot.*

Vuu 3 Vocas

Votus
personis
si Ecclesiam
IV.
32

- 61 Vovens autem in materia gravi; potest nolle obligare sub mortali. Est enim quidem de essentia voti obligatio; non tamen obligatio sub mortali, ut sic possit minui. Et vovens sibi legem potest ponere. *Navar. in Sum. cap. 23. num. 49. Sanch. de matrim. disp. 9. ad 1. num. 6.* Utenim vovere, aut non vovere, est in voventis arbitrio ita & vovere simpliciter, aut secundum quid, Nam ut obligatio vovendi nascitur ex voluntate voventis, ita & modus obligationis.
- 62 Ex quibus videtur dici posse, aliquem ex materia levi vovendo se posse obligare sub reatu mortali: Eadem enim videtur in additione obligationis esse ratio, quæ est in diminutione. Ut ergo diminui potest in re gravi, ita & eam augere in re levi: Contrarium dicendum tamen; Quia obligatio omnis capacem requirit materiam, quæ non est ista. *Vid. Zaf. d. loco. num. 48.*
- 63 Transgressiones leves voti licet iteratæ, non ponunt unam transgressionem gravem, quæ voventem peccato mortali reddat obnoxium. *Suarez. lib. 5. de voto. cap. 5. Zaf. d. loco. num. 49.*
- 64 De voto emisso dubius, an obligetur, est dubium Affirmant aliqui: Quia in dubio facti, quale hic, pars eligenda tutior. *arg. c. ad audientiam. 12. de homicid. c. juvenis. 3. de sponsal. cum dubius se exponit periculo transgrediendi votum.* Negant alii, per *Gloss. inc. ex parte. 18. de censib. quæ vult in dubiis liberum esse sequi, quod placuerit. text. d. c. ex parte. qui in dubio minimum eligi permittit.* Quorum sententia vera, si per mortalem inquisitionem maneat quis de voto emisso dubius. Est enim in dubiis possidentis conditio melior. *c. in par. 65. de reg. jur. in 6.* Et voti obligatio est odiosa, quia onerosa, debet restringenda *c. odia. 15. eod. in 6.* Nec quid facit *d. c. ad audientiam.* Loquitur enim de irregularitate, in qua est expressum, in dubio casu commissi homicidii prestare abstinere. Nec quid facit *d. c. juvenis* quia loquitur in dubio practico; scilicet, quando posito dubio, dubitatur, an bene vel male agat; quia tum agens contrarium peccat. In quo & obtinet regula: *In dubiis tutiorem partem esse eligendam.* *Zaf. loco num. 50. post Navar. conf. 26. num. 2. tit. de voto. Azor. Inst. moral. part. 1. lib. 2. cap. 19. qu. 10. Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 41. qu. 3. Suar. de voto. lib. 4. cap. 5. & de censur. disp. 40. sect. 6.*

COR
De P
et Bene
G

Hinc inferuntur tria; *primò*, Quid dicendum sit de eo, qui certus quidem est voti emissi, incertus tamen vel qualitatis vel modi votendi, vel voluntatis se obligandi: Exempli gratia; *Vovit religionem, dubitat an in communi, an specialem*: vel, *vovit se nullam rem cum femina habituram, dubitat vero, an intellexerit de copula illicita vel etiam licita*: similiter dubitat, *an voverit castitatem, vel se non ducturum uxorem, vel voverit castitatem & religionem, dubitat tamen, utrum castitatem voverit dependentem aut independentem à religione*. Nonnulli censent, teneri hunc eligere quod tutius est; ut vovisse religionem in communi, vel castitatem, & cetera. Debet enim voti interpretatio fieri in sensu maxime pleno & maxime obligatorio: *arg. c. cum dilecti. 6. in fin. de donat. D. Thom. 4. dist. 38. qu. 1. art. 3. questiu. 1. ad 6. & ibi Car. de qu. 2. vers. insuper. Turrecrem. 17. qu. 1. in sum. art. 4. ad 4. fin. num. 11. Angel. verbo votum. num. 12.* In exemplo de dubitante, utrum voverit castitatem dependentem à religione, necnè: tenent aliqui obligari ad id quod tutius est, & ita ad castitatem, siue admittatur ad religionem, siue non. *Navar. 161. conf. lib. 3. tit. 34. hoc tit. in princ. edit. conf. 4. fin. in c. conf. 13.* Et in exemplo eius qui vovit religionem, dubitat tamen, utrum voverit se professurum; idem docent aliqui, tenentes eum teneri eligere se vovisse profiteri: *Sic Navar. d. tit. in c. conf. 18. num. 2. in secund. conf. 26. num. 2. Manuel. 2. tom. sum. cap. 95. num. 6.* Licet hic potius credat, se non vovisse profiteri *secundum Navar. d. conf. 161. num. 3.*

Sed verius est, favendum esse libertati, ut in omnibus prædictis votibus teneatur vovens ad id quod minus est, *Sanch. d. loc. num. 33. c. in d. c. ex parte. de censib. docet Gloss. fin. pro vovente fieri bonam interpretationem*: & *Abbas num. 3. & 4.* ait, præsumi voventem se in votum minus gravare quam possit. Sic juramentum restringendum est, quantum fieri potest, ut minus obliget jurantem. *Abbas in c. cum Clerici fin. de verb. signif. Angel. verb. juramentum. 4. num. 1. Sylvest. verb. juramentum. 3. qu. 3. in fin.* Ratio; quia ubi de inducenda obligatione tractatur, stricta facienda est interpretatio: *l. quidquid. 99. de prec. ff. de verb. oblig. & verba in favorem promittentis sunt interpretanda: l. stipulatio ista 38. §. alteri. 17. ff. eod. & æquum est, ut gratis oblatæ*

Votus
personis
s. Ecclesie
IV.
32

oblata benignè exigantur præcipuè ab Ecclesiasticis; *d. c. ex parte. cap. multò magis à Deo: Tandem quia cum dubitans, utrum votum tenuerit, teneatur ad nihil, ut supra diximus etiam debet dubitans de parte obligationis ad eam non teneri. Est enim argumentum de toto ad partem validissimum; l. quæ de tota. 76. ff. de rei vindic. l. heredi mei 57. §. cum ita. 1. ff. ad SC. Trebell. Quod enim est Jus de toto quoad totum, est de parte quoad partem. Everard. in locis Leg. alio de toto ad partem. num. 2. Angles in floribus. 1. part. de jejuniis. quod de abstinentia à cibo art. 1. dub. 2. conclus. 3. Nec adversatur d. c. cum lecti. 6. in fin. de donation. Quia locum habet quando contra promittentis aut legantis aliquid causæ piæ heredem agitur; ut si Titius promissit Ecclesiæ calicem, eoque defuncto hæres dubitet, an tantum tantanti valoris promiserit; qui casu fieri debet interpretatio plenissima. vniuersa ea libertati promittentis vel legantis detrahitur nihil; imò eius vetur pietatis; detrahitur tantum libertati heredis. Sanch. d. loco. in p. num. 33.*

66 *Secundo infertur; Eum qui non dubitat, sed opinatur se voti teneri voto, siquidem ad hoc magna sit iudicii determinatio: sicut in diocris, rem promissam esse dividendam. Sanch. d. loco num. 34.*

67 *Tertio infertur; Certum de voti valore ex parte suæ libertatis dubitantem tamen, an votum obliget ratione debitæ materiæ, aut finis aut alicujus circumstantiæ tunc occurrentis, teneri voto. Ratio 1. Quia voluntas non possidet, cum certum sit votendo se libertate sua privasse, sed possidet votum. 2. Quia in hac re dubium totum est in Dei favorem; dubitatur enim solum, an res promissa illi sit gratior. Ergo eligenda ea, quam Deus creditor vult eligi: Deus autem capere quod tutius est & melius; nimirum, ne hoc in dubio violetur votum absque dispensatione. 3. Quia in simili dubio obligant leges. Glossa in c. magna. verb. noluisse: & ibi Anton. num. 14. hoc tit. Hostiensis. Verum, de jurejur. verb. perjurandi. Rosella in sum. verb. votum. §. num. 6. Angel. sum. verb. Furamentum. 6. num. 1. Sylvester in sum. verb. Furamentum. §. qu. 1. in init. & fin. Tabiena verb. Furare. qu. 20. Cotta in sum. verb. Fidejuss. indemnitas. Navar. sum. cap. 12. Hispania. num. 37.*

CORVINUS
De Person. Ecclesiast.
et Bene
G

37. & 53. *L. sine. num. 37. & 54. Gutier. de juram. d. part. cap. 72. num. 7. Gratianus reg. 269. num. 9. Sanch. d. loco. num. 35.*
Votum itaque *præstandum* est, si emissum ab intellectu habente, 68
& licitum & possibile; idque sit purum, cum primis *e. non est hic.*
si adjecta dies intra terminum præfixum: Nec voventem liberavit ejus
lapsus; licet is contigerit sine ejus culpa; Nisi terminus, voti restrin-
gendi causa, fuerit præfixus: *Zaf. d. loco. num. 53. sin. conditionale,*
nam post ejus implementum, *can. non solum. 32. qu. c. verum. de*
cond. appo. c. olim causam. de restit. spoliat. can. non solum 32. qu. 8. quod
non sine peccato impedit. *Zaf. d. loc. num. 54.*

Quæritur hinc, *utrum vovens, prævidens impedimentum; teneat* 69
ut prævenire. Distinguendum; Aut opus votum est certi alicujus
rei, & non tenetur; quia præveniendū non facit, quod promissit.
Aut terminus, quo implendum est votum; *suspendenda obligationis*
causa est additus, & itidem non tenetur; cum nondum sit obligatus;
Aut est adjectus, differendo solutionis gratiā; & tunc quia votum est
strictum, ac sic obligat absolute, ut intra designatum terminum fiat,
prævisio impedimento in termino, à vovente, ut ponatur extra pecca-
tum; est præveniendum. Ut &, si terminus præfixus ad finiendam
obligationem, nec opus promissum sit peculiare unius dici; *vide Sanch.*
d. lib. 4. de Voto. cap. 13. Zaf. d. loco & num. 54.

Dicta obtinent, quatenus est in Vovente: Nam si per eum non 70
fuerit, nulla in eo erit, si non impleat, culpa. *arg. l. Jure Civili 24.*
in princ. ff. de condit. & demonstrat. Zaf. d. num. 54. vers. dicta.

Sed quid, si causa voti cesset, an etiam cessabit ejus obligatio? Di- 71
stinguendum inter causam finalem & impulsivam; Cessante illa cessat
votum; *Navarr. in sum. rap. 18. num. 16. juxta regul. Vulg. in c. cum*
cessante. 60. de appellat. de qua plura Tyrachus. in tract. Cessante causa. & c.
quia deficit voti substantia. Non cessante hac; quia voti permanet
motivum principale, & tota materia. *Exemp. in d. e. ex parte. 14.*
& c. dudum. de convers. conjug. c. magna. 7. hoc tit. Zaf. d. loc.
num. 55.

Non obligat votum, cujus præstatio cum vita periculo, bono- 72
rum aut fame jactura, conjuncta; puta si generaliter emissum; quia
X x x cense-

Votum
personis
s. Ecclesiæ
IV.

32

censetur impossibile; *fac. c. querelam. 10. de iurejur. vide Zasf. d. de num. 57. Suarez. d. lib. 4. de voto. cap. 20.*

73 *Obligat etiam tantum ipsum voventem, non alium. Neque enim alteri per alterum iniqua adferri potest conditio. vid. ter. titulu C. Ne uxor pro marito & c. & Ne filius pro patre & c. ibique Enarrat. men.*

Unde quaeritur, utrum *votum alterius, ut parentis, testatoris, decessoris, obstringere possit alterum; ut filium, heredem, successorem. Cui quaestioni ut respondeatur ponenda votorum est distinctio, in personale, reale, & mixtum.*

Si votum est *personale, ut jejunii, peregrinationis, militia sacri, ingrediendae religionis & simile, non obligat nisi personam voventem. Personalia enim personam non egrediuntur.*

Quod adeo verum, ut, si vovens *personale quid, ut in subditum & servitium rei piae operas suas; vel per aratem, vel per mortuum, aut quid simile, impediatur sine sua culpa, in persona, per alium non tenetur exhibere servitium; Navar. d. cap. 12. num. 55. Zasf. d. de num. 6. Nisi idem voveret, intendisset se obligare ad implendum, per alium, in eventum, quo per se non posset. Less. d. tract. lib. 6. cap. dubit. 8. num. 63. & 64.*

Sed difficultas est de *parentibus; Utrum illi voto suo obligentur non possint filios impuberes. Hoc posse videntur; Cum multi canones dicant, filium a parentibus monasterio in infantia dicatum, puberem factum egredi non posse. ut can. Monachum. 1. can. addidisti. can. quicumque can. quem progenitores. 26. qu. 1. Accedit quod voluntarius interdum contineatur moraliter in voluntate alterius, ut voluntas filii in voluntate patris. Dicendum tamen, solere quidem parentes offerre liberos Religioni, non tamen eosdem eidem obstringere cum votum contineat personalem promissionem, eaque debeat procedere ex actu proprio, & voluntate, qua immediate nititur; quia cum non sit in impubere doli incapax, non est quod obstringatur voto, donec consentiat in aetate adulta. *fac. can. praesens. 20. qu. 3. & Gloss. in d. can. addidisti. & text. in c. cum scimus. de regular. can. illud autem. 20. qu. 1. c. puella. c. sicut. d. c. & q. Concil. Trident. sess. 25. cap. 17. & 18. de regularib. Ratio est: 1. Quia nemo vovere potest aut promittere**

COR
De P
et Bene

G

Atque, quod non habet in potestate sua: Atque actiones filii non sunt in potestate parentis. Ergo. id. d. l. stipulatio ista. 2. Quia in his que ad vite pertinent statum, quisque sui juris est, nec ad ea obligari potest, nisi consensu suo. 3. Quia nulla potestas obligare potest aliquem ad illa que Christus voluit esse libera. Videat. Suarez. 3. de voto. cap. 2. num. 2. 3. 5. & Basil. Ponteus. de matrim. lib. 7. cap. 5. num. 10. & seqq. Lessius d. loco num. 63. Nec obstat, ut videtur, quod infantes fidei suscipiant characterem per offerentes eos ad baptismum, ita ut videantur etiam obstringi posse voto, per parentes, tutores; Est enim inter hæc differentia; Quod fidei professio, immediate sit ex divina legis obligatione, quam sola sua voluntate imponere potuit Christus: Voti autem obligatio hominis relicta arbitrio, & cuius voluntate ut teneat, emanare debet. Suarez. 3. de voto. cap. 2. d. l. d. loco num. 59.

Quoad heredes & vota personalia dicendum, eos ad defunctorum vota non impleri non tenei, sive filii sint, sive extranei. Nam licet defunctorum representent personas, verè tamen personæ sunt ab indistincta, quæ promissione alterius formaliter obligari non potuerunt: Promissio enim ad propriam voluntatem habens respectum, non potest obligare alium; cum obligatio non oriatur, nisi ex actu proprio. Potest tamen heres promissionem defuncti, acceptando suam facere ut in c. licet. 6. hoc tit. Suarez. lib. 4. de voto. cap. 10. Sanchez. ad præcepta Decalog. lib. 4. cap. 15. num. 25. Roder. Suarez. ad l. quoniam in prioribus. §. 1. num. 20. C. de inoff. testam. Zaf. d. loco num. 61. adeo ut, non implendo illam, hæreditate se reddat indignum. d. c. licet 6. & d. d. Covar. ad cap. 6. num. 13. & 14. de testam. Bald. in Auth. hoc amplius. C. de fideicom. Suar. d. loco.

Quoad vota realia dubium non est, quia ea anto mortem non solvantur, obligent heredem. c. si heredes de testam. l. a. ff. de pollicit. Sylvest. d. l. d. loco. verb. votum. 2. qu. 11. Ratio est, quia sicut heres succedit in bonis, actionibus & juribus defuncti; ita etiam in omnibus, quæ hereditatem attingunt, etiamsi nulla res per se obligata. Undè sicut ea, quæ testator promisit homini, tenetur solvere, ita etiam quæ promisit deo. Lessius d. loco num. 65.

Xxx 2

Quod

VITUS
PERSONIS
Ecclesie
IV.
32

77 Quod procedit in votis *mixtis* pro parte, quâ rem concernunt, qua personam, cum qua, perinde ut merè personalia, extinguuntur. *Suarez. d. c. 11. num. 4. Sanchez. d. cap. 15. num. 29. Zaf. d. loc. num. 63. Less. d. loco num. 67.*

78 Ad vota autem ea *realia & mixta*, pro parte quâ realia, tenent heres ipſo jure ac vi receptæ hereditatis. *fac. d. cap. si heredes deſtamen. c. 1. de ſolution. & d. l. 2. ff. de pollicitat.* Licet deſunctus declaraverit ſe nolle tale onus ſequi heredem: Modò vota ſimpliciter fuerint ſine limitatione ad vitam utriuſque deſuncti & heredis, emiſſa. Utcum hoc caſu ab obligatione liberari non poſſet, citra ſolutionem ipſe deſunctus, ita nec ejus heres; cum ea non pendeat ex voluntate deſuncti. Sunt enim contractus ab initio voluntatis, poſtea neceſſitatis. *Suarez. d. cap. 11. num. 12. & 13.* Sin verò fuerint vota, ad utriuſque perſona vitam, non bona reſtriçta, heredem non ſequuntur: V. g. deſignificando monaſterio, Eccleſia in vita ſua, ita ut ſi non ædificet, heredes teneri nolit; vide. *Zaf. d. loc. num. 65.*

79 Sed dicta de *mixtis* votis quatenus ſunt realia, tantum procedunt ſi *personalibus ſint conjuncta per accidens*, ex ſpeciali voventis intentione; non etiam per ſe. *vid. Suarez. d. cap. 11. num. 14. & ex eo Zaf. d. loc. num. 66.*

80 Quæ diximus de obligatione voti, accipienda ſunt, *niſi quid ſuperveniat, quod ab hac obligatione liberet.* Liberant autem quinque: *collig. ex Dd. vid. Sylveſtr. in ſum. verb. votum. 4. qu. 1. Navar. in ſum. cap. 12. num. 63. Less. d. cap. dub. 9. num. 68.* Nempe: 1. *Deſectus materie:* 2. *Conditionis:* 3. *Irritatio:* 4. *Communitio:* 5. *Dispensatio.*

81 Per *deſectum materie* ſolvitur quis voto, ſi id, quod ante erat legitima materia, deſinat eſſe materia voti vel abſolutè, vel voventis reſpectu; ut ſi fiat impoſſibilis, ſi mala, ſi majoris boni impeditiva, ſi indifferens, ſi inutilis. *Less. d. loco & num.* Talis enim ut ab initio in votum non deducitur, ita & poſtea in votum deducta votum annullat. *arg. §. idem juris. 2. verſ. item contra. Inſt. de inutilib. ſtipulat. l. 1. eod. num. 67.*

82 Per *deſectum conditionis*; ut ſi votum fuerit factum eventum

COR
De S
et Bene

G

vel durante certa conditione, & illa non eveniat, aut desinat. *can. non solon. 22. qu. 8.*

Sed quid, si contingat, conditionem voto tacite vel expresse adie-⁸³ctam tolli per vim vel fraudem ipsius voventis? Ut vovit quis Deo & Superiori servire perpetuo in hospitali aut monasterio, sub conditione Superiori retinere eum velit; velit autem Superior, sed ille de in-
dignitate male serviendi, supellestili damna inferendo, omniaque tur-
bando, dimissionem extorsit; an cessabit votum? Dicendum, quod non;
necesse est tutum; nisi paratus sit impedimenta per malitiam posita
radere, & rursus ad obsequium praestandum se offerre, rogatque Su-
perio-rem, an velit eum admittere. *Richard. in 4. dist. 38. art. 5. qu. 3.*
Sylvest. in sum. verb. votum. 2. questione 2. Angel. in sum. verb. votum.
num. 10. & Dd. alii passim. Omnis enim conditio ita est interpretanda,
ut nec det occasionem violandi votum vel contractum; at qui maxima
datur occasio, si ita intelligeretur, ut hujusmodi artibus malis possit
voti. *Lessius. d. tract. lib. 6. cap. dubit. 15. num. 118. & 120. vers. denique.*

Per iritationem; Quando vovens vel perfecte & in omnibus, ⁸⁴
vel quoad materiam quam vovit, alienae potestati subiectus est & de-
pendens a voluntate eius. Subest enim conditio haec tacita; *Nisi su-
perior, aut ille cuius interest, contradixerit.*

Qui, si citra causam irritet votum, queritur an peccet? Respon-⁸⁵
dendum quod non mortaliter: 1. Quia votum, ab ipsius pendens
arbitrio, approbare non cogitur lege ulla: 2. Quia iure utitur suo,
sive probet, sive improbet. *Paludan. in 4. dist. 38. qu. 4. art. 2. Syl-
vest. in sum. d. verb. votum. 4. qu. 2. Angel. in sum. d. verb. votum. 2.*
num. 10. Peccat tamen venialiter. Mautum enim est, sine causa,
bonum alterius opus impedire. *Less. d. lib. 6. cap. dubit. 10. num. 69.*

Dicta potestas ex parte irritantis; vel est laica, sive patria, sive ⁸⁶
dominica, sive conjugalis; vel spiritualis, fundata in potestate juris-
dictionis.

Dominica; Quia vota servorum seu mancipiorum, etiam ante ⁸⁷
servitatem emissa, indirecte irritare potest Dominus, quatenus sibi
sua praesidio, quoad usum actionum, quas ei debent, & vovendo

VITUS
PERSONIS
s. Ecclesiae

IV.

32

non possunt auferre: ut *Vota peregrinandi, recitandi horas canonicas*. Si non sint Domino nociva, ea irritare non potest; ut *votum castitatis, se non inebriandi, signandi se cruce, commendandi se Deo, &c.* &c. omnia ea, quæ referuntur ad tempus finitæ servitutis. *Lessius d. lib. cap. & dub. num. 82. Navar. in sum. cap. 12. num. 64.*

Quodsi votum ad utrumque tempus referatur? ut si servus vo-
veat toto tempore vitæ divinum recitare officium. Putat Sylvester
sum. verb. Votum. 4. qu. 2. S. quintum. posse illud Dominum simpliciter
irritare; sed verius non posse, nisi pro tempore, quo dominus
subiectus; quia solum illo tempore potest Domino obesse: Nihil autem
ad dominum pertinet, quid postea acturus sit. *Lessius d. loc.*

88 *Patria*; Quia pater impuberum liberorum Vota irritare potest,
vi patriæ potestatis, cui liberi ante usum rationis ita sunt subiecti, ut
voluntate patris debeant regi, & voluntas patris censeatur eorum esse
voluntas. *Dd. commun. per can. mulier. 32. qu. 2. c. 1. de regular. in 6.
c. ad nostram. eod.*

Item dicendum de tutore, qui pupillo est loco patris. *Less. d. loco
num. 78.* Non de matre, nisi mortuo patre sit tutoris loco. *Less. d.
loco.*

89 Dicta procedunt, etiamsi vovens ante pubertatem sit doli capax,
quia iura absolute loquuntur; ut non cesset eorum definitio, etiamsi
ratio cesset in particulari: *Zaf. d. loco num. 69. vers. pater.* vel vovens
sic factus pubes. *Cajetanus qu. 189. art. 5. Navar. d. cap. 12. num. 77.
Lopez. part. 1. cap. 48. Diss. Sotus lib. 7. qu. 3. art. 2.* Quia illud Votum
ex interpretatione juris fuit conditionatum; Nempe *si pater vel tutor
non contradixerit*: quam conditionem tractu temporis non amittit.
Supponi enim nullam circa ipsum mutationem esse factam, neque illud
in aetate pubere fuisse ratificatum. Itaque cum conditio adhuc maneat
& voti firmitatem teneat, quasi suspensam; si pater nolit esse firmum,
desinet obligatio: *Lessius d. loco. num. 79.*

Et hoc procedit etiam quoad illud votum, quod refertur ad tempus
pubertatis, ut *si voveant aliquid exequendum, cum adoleverint*; quia
& hoc isto tempore pater irritabit, se à neutro confirmatum eo tempore,
quia habetur factum ab impubere, atque ita à principio infirmum.

CORVINUS
De Person. Ecclesiast.
et Bene

G

Suar. d. lib. 6. cap. 6. Sylvest. verb. *Votum*. 4. qu. 2. & verb. *Religio*. 2. num. 15. ex *Panorm.* in c. *scriptura*. hic *Navar.* d. cap. num. 67. *Setus* lib. 7. qu. 3. art. 1. *Less.* d. loc. num. 80.

Irritat & pater vota puberum sub potestate existentium: non tamen omnia, sed tantum ea quae ratione obedientiae, aut aliàs, sunt sibi nociva; cuiusmodi sunt realia de bonis paternis, extraordinaria jejunia, longa peregrinatio. d. *can. mulier*. Suar. d. lib. cap. 5. *Less.* d. loc. num. 60. *Zaf.* d. loc. num. & vers. in med. Excipiunt aliqui Doctores peregrinationem in subsidium terrae sanctae. arg. c. in multa 9. §. in tanta. *de rit.* quod loquitur de milite in quo jus ponit extraordinarium, non extendibile. Ut ista exceptio sit dubia: Admitti tamen posset ex iure naturali, si sine expensis patris voverit subsidium ferre. *Zaf.* d. loc.

Vota patri non nociva non potest reddere irrita; ut sunt castitas, religionis, sacrorum ordinum, certarum precum, confessionis, communionis, & similia. *can. 1. & 2. caus. 20. qu. 2. c. ad nostras. de regular.*

Emancipati vota itidem non irritat; quia cessat potestas; licet ea 2 miserit filius adhuc in potestate existens: Quia irritandi potestas fundata est in potestate patria, quâ sublata cessat. *Zaf.* d. loco & vers. in fin.

Realia quoque puberum vota irritari possunt (nisi forte habeant bona castrensia vel quasi) non solum à patre, sed etiam à Curatore usque ad vigesimum quintum aetatis annum; quia ante illum non habent administrationem. *Sylvest.* d. verb. *Votum*. 4. qu. 2. *Navar.* d. cap. 12. num. 64. *Lopez.* d. part. 1. cap. 47. Nisi relata fuerint in tempus, quo erant sui juris: quia hæc Curatorum administrationi non officiant. *Less.* d. loco. num. 81.

Potestas conjugalis; De ea quoad materiam nostram sententia 34 sunt duæ:

Prior est, Maritum posse omnia uxoris vota sine ejus consensu facta perinde dissolvere, ut parens vota filiae impuberis, & Prelatus vota Monachorum. *Abbas* d. c. *scriptura*. hoc tit. *Sut.* lib. 7. quæst. 3. *Abulens.* in cap. 30. *Numeror.* qu. 80. *Lopez.* cap. 47. Favet D. Augu-

VITUS
PERSONIS
Ecclesiæ

IV.

32

Augustinus. cap. 59. sup. Numer. ref. in can. noluit. can. manifestum. 33. qu. 5. can. fin. ibid. & Scriptura Sancta cap. 30. Numerorum; nam eodem modo loquitur de voto uxoris & puellae, quae est in domo parentum vid. D. Thom. 1. 2. quest. 88. art. 8. ad 3.

Altera sententia est, ea tantum irrita maritum facere posse, qui ipsi incommodant, vel quae pertinent ad administrationem familiae in quibus est caput uxoris: Quae verior. Gloss. in can. manifestum. 33. qu. 3. Innoc. Hostiensis. ad fin. Joann. Andr. num. 4. Antonin. num. 3. de charan. num. 13. in d. c. scriptura. Less. d. loco, num. 83. Ratio est Quia uxor quidem subiecta est viro, sed non in omnibus, nec in omnibus ipsius juri officit: nec censenda est ea iudicii tenuitate, ut in omnibus dirigi debeat à marito, sicut impuberes à parente. Itaque ritus non potest irritare vota certarum precum, elemosynarum, praesertim, è rebus, quarum integram habet administrationem non mentem non omittendi sacri; non petendi diebus festis debiti: Secus de votis junii (praesertim crebri, quo ad usum matrimonii possit reddi in peregrinationis, humi cubationis, habitus simplicioris, &c. X. refert, utrum hujusmodi vota ante conjugium, an jam constante conjugio: Satis enim est, quod executio in conjugio ipsi incommodet.

Potest etiam uxor irritare vota mariti, sed non nisi in eius praedictum tendentia; idque non ex causa subjectionis, quia ipsa viri subiecta, sed dominii, quod habet in corpus viri, in quo si fiat mutatio per viri votum, illud irritat merito. Navar. d. cap. 12. num. 1. Suar. d. lib. 6. cap. 4. num. 8. Lessius d. loco num. 83. in fin.

Qua ratione mariti votum non facit, quo minus uxori petenti reddat debitum. c. quidam. c. placet. de convers. conjugat. D. Thom. lib. 3. art. 18. vide Less. d. loco num. 34.

Quod si uterque pari consensu voverit continentiam; neuter potest alterius votum reddere irritum: D. Augustin. in 199. Epist. ad Ciceroniam. unde neuter potest petere aut petenti debitum reddere. Quod si uterque juri suo cessisse videtur.

Idem dicendum, si alter solus, altero consentiente continentiam vovit. Visus enim est, qui consentit, cessisse jure suo: alioquin nihil consenti contulisse aut concessisse videtur, quod alter per se non

COR
De P
et Bene

G

possit facere. *Et sic intell. d. can. manifestum.* Quod si non cesserit ju-
 re suo, tenebitur alter reddere. *Less. d. loco. num. 85.*

Voluntariam Doctores maritum, licet, sed simpliciter, Voto uxo-
 ris consenserit, nihilominus illud valide revocare & irritare posse;
Navar. d. cap. 12. num. 61. quod licentiam dando non amiserit domini-
 um vel potestatem. Peccabit tamen si sine causa revocet, propter in-
 constantiam, & erga Deum aliquam irreverentiam. *Suarez. d. cap. 4.*
num. 19.

Potestas Spiritualis; Ex ea potest *Pontifex Romanus omnium fide-*
lium, cuiuscunque sint status, irritare Vota, saltem indirectè, in materiis
 illis, unde præjudicium esse possit Ecclesie, vel quæ ob specialem ratio-
 nem pertinent ad jus Pontificis. *c. 2. de precar. c. sicut. 27. de jurejur. Sua-*
rez. d. lib. 6. cap. 2. Non in aliis: ut laicorum Votis jejuniorum, pere-
 grinationum, orationum, humi cubationum, elemosinarum, largiti-
 onum, &c. *Less. d. loco. num. 86.*

Idem obtinet in *Episcopis & aliis Prælatibus Religionum*, quoad suos
 subditos, qui suorum Religiosorum Vota omnia, præter Votum religi-
 onis arctioris, *fac. c. licet. de regular.* irritare possunt, in quacunque ma-
 teria; idque ex *professionis*, secundum quam Prælatibus suis, quantum ad
 operationes, subditi. *Suarez. ibid. cap. 7. Basil. Pontius de matrim. lib. 7.*
cap. 5. num. 17. Angelus in sum. verbo Votum. 2. num. 3. Sylvest. in sum.
verb. Votum. 4. qu. 2. Soc. lib. 7. de justit. qu. 3. art. 1. Navar. d. cap. 12.
num. 65. Licet illi in Vota antea consenserint. Quamvis sine causa id
 facientes peccent. *Abb. in c. Charissimus. de convers. conjug. Sylvest. d. loc.*
Fernus in armilla. verb. Votum. num. 12. Navar. d. cap. num. 61. Sotus d.
lib. 5. qu. art. 1. Lessius d. loco. num. 75. vers. contrarius. Religiosorum
 enim Votis de jure tacita inest conditio: *Nisi Superior repugnaverit.* *Less.*
d. loco. vers. petes.

Exercet & istam potestatem *Prælatæ Monialium* circa Vota sua
 Monialium; nam & illis præcipiendi jus est intra gubernationis
 suæ limites. *Suarez. ibid. cap. 7. num. 19. Zaf. d. loco. num. 70.*

Et hoc ita quoad professos, ex vi status religionis; sed dubium, an
 Prælatorum eadem potestas sit circa Vota *Novitiorum*. Dicendum
 quod non; quia novitii non sunt in Prælatorum potestate, cum adhuc
 sint

Yyy

VITUS
 PERSONIS
 S. Ecclesie

IV.

32

sint sui juris. *Navar. d. cap. 12. num. 65.* Possunt tamen suspendi; quod differendi executionem iusta subest causa; cum satis graventur executionis probationis. Quod intellige, quando Voti executio probationis impedimento; alias non. *Sylvest. d. verb. Votum. 4. qu. 7.*

Quando Votum fuit suspensum, si contingat voventem ante professionem religionem egredi, reviviscit obligatio. *Less. d. loco num. 77.*

- 99 Præterea liberat à Voti obligatione *Commutatio*: Quisque enim potest, etiam propria auctoritate, Votum suum commutare in melius. *c. pervenit. 3. de iurejur. d. c. scriptura. 4. hoc tit. Angel. in sum. verb. Votum. 4. qu. 2. Covarruv. in c. quamvis pactum. parte 1. §. 3. num. 4. de pact. in 6.* Ratio est; quia in eo quod melius est, censetur contineri, quod minus est.

Melius voco, non quod ex genere suo est præstantius; sed, quod omnibus expensis, Deo creditori est gratius. Etsi enim per se & ex genere suo melior sit oratio, quam jejunium; & eleemosyna quam afflictio carnis per cilicium; tamen qui vovit jejunium vel cilicium, non potest suo arbitrio ista in orationem vel eleemosynam quandam commutare: quia non semper Deo gratius est id nos facere, quod per se est excellentius; sed quod pro tempore, loco, & dispositione nostram magis congruit ad nostram salutem fieri à nobis. *Leo in Theof. fori Eccles. parte 2. de Voto & Voti dispens. cap. 11. num. 26. Less. d. lib. 5. cap. dubit. 2. num. 87.* Itaque in hoc fieri poterit *commutatio*.

- 100 Non poterit fieri *commutatio* auctoritate voventis sola si Votum non sit melius, aut dubitetur an sit; Potest cum auctoritate Prælati Episcopalis Jurisdictionem habentis. *c. 1. hic. Vivaldus cap. 14. §. 11. non tamen sine causa, ne obligatio, Deo quaesita, remittatur temere. Navar. cap. 22. num. 75. cum seq. Grass. decis. aur. cap. 30. num. 12. Leo d. loco num. 28.*

- 101 *Commutari* tali modo potest Votum factum contra personam intrinsecam, vel loci, vel de dando aliquid tali pauperi, Ecclesie; absque consensu illius personæ vel Ecclesie; quia Deo, cui promissio facta facta sit. *D. Thom. 2. 2. qu. 88. Grass. d. cap. 30. Navar. de rebus. Eccles. qu. 1. mon. 60. num. 1. Leo d. loco num. 28. Cajet. tom. 2. opusculor. 11. de Voto. qu. 3.*

COR
De P
er Bene

G

In commutatione Voti personalis haberi debet ratio expensarum, quæ in expletione Voti fuissent faciendæ, personarum ratione habitâ, ut illæ impendantur in pium aliquod opus *Butrius in c. magnæ. num. 6. hic. Graff. d. cap. num. 10. Leo d. loc. num. 27.* In Voto autem de dando, faciendo; videndum, an inde non sit alteri jus quæsitum; quia num non posset amplius Episcopus, sine illius consensu dispensare; nisi sit illius Dominus Superiorve tam absolutus, ut possit ipsi rem quæsitam auferre. *Piasc. de potest. Episc. part. 2. cap. 1. art. 3. num. 8. vers. in commutatione. Vallens. in parat. ad h. tit. §. 3. num. 6.*

Potest tamen omne Votum, propria auctoritate, commutari in Votum Religionis, cujus bonum sit Deo gratissimum. *d. c. scriptura. 4. hic. ubi Dd. commun. Lessius d. dubit. num. 91.*

Factâ commutatione potest vovens ad Votum prius redire omisso eo in quo facta est commutatio; cum quia facta est in ipsius favorem, unde potest ei renuntiare; alioquin non tam esset favor, quam onus; cum quia solum videtur sub conditione facta; *Si nolet prius Votum implere. Less. d. dubit. num. 97.*

Unde sequitur, si commutatio sit facta sæpius servari posse quidvis illorum, in quæ fuere facta. *Less. d. loco & num.*

Ultimò à Voti obligatione liberat dispensatio. *Dispensare à Voto* (ut loquuntur Theologi & Canonista) non est idem quod declarare Voti materiam Deo non esse gratam; *ut videtur velle Bonaventura dist. 38. art. 1. qu. 3. & Paludan. ibid. qu. 4. art. 4.* cum quia id potius pertinet ad Doctores, quam ad Ecclesiæ Prælatos: tum quia, cum Deo materia non est grata, evanescit per se Voti obligatio, nec dispensatione est opus: *Nec, ut vult Sotus d. lib. 7. quest. 4. art. 1.* est idem quod dispensare in lege humana, quam vovendo sibi homo imposuit: quia Votum non solum est lex quædam privata, sed etiam jus tribuit alteri; quod illi, nisi consentiat, adimi non potest. Est ergo *dispensare in Voto*, condonare Voti obligationem in nomine Dei. *Zaf. hic, num. 74. Cajetan. d. art. 12. Less. d. lib. & cap. dubitat. 12. num. 98.*

Dispensandi potestas in Votis aliisque debitis erga Deum contractis, est in Ecclesiâ. *Fide tenendum hoc, ut ex usu ejus perpetuo patet. Dicitur etiam D. Paulus Epist. 2. ad Corinth. 2. Nam & ego quod donavi, si quid*
Yyy 2 dona-

VOTUS
PERSONIS
sive Ecclesiæ

IV.

32

donavi, propter vos in persona Christi. vide D. Thomam art. 12. & Mathiam 16. & 18. Less. d. loco num. 99.

106. Competit Prelatis, habentibus Episcopalem auctoritatem in foro externo, Suarez. d. lib. 6. cap. 10. num. 9. non tamen, ne quaesita Deo obligatio remittatur temerè, sine causa; Navarr. cap. 22. num. 74. cum seq. Sor. d. lib. 7. qu. 4. art. 3. Less. d. loco num. 100. cum seq.

107. Summo Pontifici competere dispensationem super omnium Christianorum Votis, nullus dubitare debet, idque propter potestatem a Deo concessam. Zaf. d. tit. num. 73.

Episcopus est & ordinaria potestas dispensandi super Votis subditorum, specialiter Summo Pontifici non reservatis. c. 1. hic Commun. Dist. sent. Ratio est; Quia Episcopus, Pontificis reservatione seposita, in sua dioecesi potest in iis, quae jurisdictionis sunt, quae Pontifex in Ecclesia tota. Lessius d. lib. 6. cap. 6. dub. num. 103.

108. Subditi autem quoad hoc, sicut & quoad omnia Sacramenta (excepto ordine) censentur omnes, qui in dioecesi habent domicilium. Navarr. in can. placuit. de penit. dist. 6. Neque hi tantum; (quia hi etiam ad ordines suscipiendos sunt subditi) sed etiam qui, etsi non habeant in dioecesi domicilium, tamen ibi habitant, eum autem ibidem permanentem majore parte anni. Henriquez lib. 3. de penitent. cap. 14. Petrus Arragon. qu. 88. num. Sancius de matrim. disp. 23. num. 13. imò & qui sunt. Less. d. loc.

109. Vota specialiter Pontifici reservata sunt, secundum sententiam communem quinque: Religionis approbatæ, castitatis perpetuæ, perpetuitatis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum Compostellam, & Ultramarinum, seu in terram sanctam. Extrav. etsi Dominici. de penit. & vniuers. Suarez. d. lib. 6. cap. 21. num. 2. & 3. Nam licet nullus textus juris reperiat, qui hæc quinque Vota, imò ullum soli Papæ, reserves, præter illam tamen c. quod super. c. ex multo. hoc tit. ex stylo tamen Romanæ Curie, qui satis colligitur ex dicto Extrav. (Cui parendum, nisi aliter ab aliis sit consuetudo legitime præscripta. Less. d. loco num. 104.) omnia hæc reservata sunt Summo Pontifici; Lessius d. loco Valleng. in par. ult. tit. num. 7. Leo in Thes. fori Eccles. part. 2. cap. 11. num. 54. Navarr. d. cap.

COR
De P
et Bene

G

cap. 12. num. 75. vers. secundo dicitur. tom. 3. Graff. decis. aur. cap. 31. num. 21. part. 1. lib. 2.

Non desunt tamen Doctores, qui putant tria illa peregrinationum Vota non reservari Pontifici, nisi fiant in subsidium. Unde si solum fiant devotionis causa posse dispensare Episcopum. *Gloss. Et Abb. in d. c. de multa. Fumus in armilla, verb. Dispensatio num. 16. Angles de Voto. art. 8. diff. 9. Viraldus cap. de Voto. num. 55. Tabiena V. dispensatio. num. 11.* Sed & hic consuetudo est in contrarium; etiam si solum devotionis causa facta sint.

Idem dicendum de horum Votorum commutatione si ea in aliud opus quam ingrediendae religionis sit faciendae. *Less. d. loco.*

Dispensare ergo potest Episcopus in Voto religionis non approbatae, castitatis non perpetuae, non fornicandi, non perendi debitum, non nubendi, *Angel. in sum. v. Votum. 4. num. 9. Sylvest. in sum. ibid. quest. 7. Navar. d. cap. 12. num. 76.* suscipiendi sacros ordines, virginitatis. *Less. d. loco. num. 105.*

Parechus non est dispensandi potestas, *Sylvest. d. loco. 4. num. 3. S. IIII. spiritum. ex Archid. & Palud. uti nec Praeatus Episcopo inferioribus, nisi forte ex privilegio, consuetudine, vel speciali indulgentia Pontificis; vel nisi habeant Episcopalem jurisdictionem; ut sunt Regulares exempti, qui proinde dispensare possunt eum suis Religiosis. Dd. com. Sot. d. 7. qu. 4. art. 3. Sylvest. d. loco. Navar. d. loco num. 75.* Abbatissae quidem suarum monialium Vota possunt irritare, non tamen proprie in illa dispensare. Quia jurisdictione spirituali carent. *Sotus in 4. dist. 20. qu. 1. art. 4. Viraldus d. loco num. 95. vid. Sylvest. verb. Famina. num. 4.*

Quaeritur; An summus Pontifex dispensare possit super uno ex essentialibus Voti solemnibus? Videtur dicendum, quod non. Primo per c. cum ad monasterium. c. de statu monach. ubi castitas dicitur annexa regulari monasticae, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere licentiam. Secundo: Quia nihil est melius continentia; quo possit pro ea fieri compensatio; juxta illud Eccles. 26. *Omnis ponderatio non est digna anime continentis.* *Gloss. in d. c. cum ad monasterium. Et c. l. hoc tit. Altijsodoren. in sum. lib. 3. cap. 22.* Tertio: Quod consecratio rei dicitur, nec possit tolli per Pontificem: & semel dedicatum Deo non sit

VITUS
PERSONIS
Ecclesiam

IV.

32

profanis usibus mancipandum. Et hanc sententiam tenent. *D. Thomas* *mas art. 11. Altiſcodor. d. loco. Albert. in 4. dist. 38. art. 7. Alciutorius*
de potest. Papa. cap. 3. Sylvest. d. verb. 4. qu. 5. Sotus lib. 7. de Julin. qu.
art. 2. Petr. Arragon. qu. 88. art. 11. Fumus in armilla. V. dispensa-
num. 12. Contraria tamen sententia est verior, & apud Canonistas,
Navarro cap. 12. num. 77. & consil. 38. num. 9. hoc tit. Covar. ad c. 2. mo-
17. & 18. de testam. & Theologos, Henric. quodlibet. 5. qu. 28. D. Thom.
in 4. dist. 38. qu. 1. art. 4. questiuic. 1. ad 3. Richard. d. dist. art. 9. qu.
Scot. ibid. qu. Durand. ibid. qu. 2. Paludan. ibid. qu. 4. art. 4. conclus. 11
& 12. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 9. Angel. v. Votum. 4. qu. 5. Capet.
art. 11. receptor. Probatur: Primò; Quia Pontifex dispensare po-
test circa Votum simplex castitatis perpetuæ; ut patet ex d. Extrav. B.
Dominici. de penit. & remiss. ubi ejus dispensatio reservatur Pontifici.
Ratio est, quia in omni Voto censetur excepta Pontificis auctoritas; ut
solemnitè dicendum idem: cum solemnitas dependeat tantum ex Ec-
clesiæ constitutione, c. quod Votum. hoc tit. in 6. Constit. Gregorii VIII
qua incipit Adscendente Domino. Less. d. lib. & cap. dubit. 14. num. 11
quæ non ligat Pontificem, quominus ab ea recedat, causâ ita postulat.
te. Facit quod Ecclesiæ approbet Religiones, quæ aliàs non appro-
ret effectum obligationis quoad professionem ultra Votum simple.
Ut cum obligationem induxerit Ecclesiæ, possit & eandem tollere. Ita
enim est solvere, cujus fuit ligare, & unumquodque naturaliter eo
modo, quo ligatum. Lessius d. loco. & num. vers. ex his. Zaf. loc. cit.
num. 76. Secundò; Quia potest Pontifex dispensare in Voto solemn-
Clericorum. Commun. Doctor. sent. Ergò & Monachorum, & de mo-
nacho facere non monachum: Gloss. fin. in d. c. cum ad monasterium
ibi Innoc. num. 4. & Abbas num. 21. Paris. cons. 68. num. 148. vol. 4. d.
varr. c. 2. num. 10. & 11. de testam. Navar. d. cap. 12. num. 75. vers. quod
to dicimus. Graff. d. loc. cap. 31. num. 22. & 23. Tertiò; Quia sæpe Pon-
tifex usus est hac potestate. Ut cum Nicolao Justiniano Monacho pro-
fesso Alexander III. Volaterran. lib. 4. histor. cum Remigio Rege Ar-
goniæ: ut post Joan. Andr. in reg. semel. & Petr. de Anch. cons. 335. tra-
dit Felin. inc. si quando. num. 5. de rescripti. Paludan. dist. 38. qu. 4. art. 4.
conclus. cum Constantia Regis Siciliæ filia, moniali professa, Cæcili-

Cor
De P
er Bene
G

mus III. *Platina in ejus vita.* cum Henrico Presbytero Cardinali ut Rege Portugallie Gregorius XIII. *Leo in Theſ. ſeri Eccleſ. d. loco. num. 58.* cum ſeqq. cum fratribus Ducibus Joſofe; uno Priore ordinis S. Joannis Hieroſolymitani, altero Presbytero Ordinis S. Franciſci Capucinorum: *Leo d. loco.* non ita diu extinctis. Nihil obſtat d. c. *cum ad monaſterium.* Quia non accipiendum, quaſi ſimpliciter denegaret Pontifici diſpenſandi auctoritatem, ſed quod non facile eò deveniendum. Et hoc ex eo intelligitur, quod Pontifex ibi redarguat Abbatem, qui ſibi arrogabat licentiam diſpenſandi cum Monacho, ad retinendum proprium. Unde utitur Pontifex hyperbolica aliqua exaggeratione, argumento dicto à majore ad minus, quaſi dicens, *Mibi non licet, quomodo Tibi licet.* Aur dici poteſt, ibi agi de diſpenſando cum Monacho, ut tali, quaſi repugnat eſſentia: ſtatus religioſi, non obſtringi Voto continentia: Non repugnat autem eum à monachatu eximi, ut deſtructo ſubjecto, Vota ei annexa corruant. *Felin. in d. c. ſi quando. num. 5. de reſcript.* Nec obſtat, quod conſecratio ſive benedictio nequeat auferri; nam Voti ſollicitas non conſiſtit in benedictione aliqua, nec illa facit religioſum, ſed in ſtatu Eccleſiaſtico, quod mutari poteſt ab eo qui illud induxit. *Leo d. loco. & num. verſ. Ex his. cum ſeq.* Nec obſtat, quod non poſſit deo dicatum ad profanos uſus transferri; quia hoc intelligendum, niſi in cauſa exigens. Multo magis idem dicendum de diſpenſatione ſuper Voto Sacerdotii, cui ex Eccleſia: inſtituto eſt annexum Votum caſtitatis. *vid. Navar. d. conſ. 38. Sanch. de matrim. lib. 8. diſp. 8. num. 6. & 7. Baſil. Pont. de matrim. lib. 7. cap. 10. alioſq. Dd. ſupra alleg.*

Porro in Voti diſpenſatione non ſolum requiritur poteſtas ſpiritu- I 13
alis, ſed etiam *juſta & neceſſaria cauſa*; aliàs ille, cum quo diſpenſatur, ſemper Papam, nunquam eſſet tutus, quoad Deum. *Franc. c. cum ſin- gulis prohibemus. de prebend. in 6. Gloſſ. in c. non eſt Voti. in verb. adimplere. c. Abbas in c. interpretanda. ſi ſi verò. n. 43. de prebend. in 6. Felin. in c. 2. n. 19. & 20. de ſponſal. Graſſ. d. cap. 31. n. 27. & 32. Leo d. lib. & cap. n. 66.*

Diſpenſandi à Voto cauſa juſta ſunt plures; ut ſi materia Voti ſit I 14
inutilis, vel inutilis, cum vana opera non ſint grata Deo: quaſi licet cauſa reddens Votum malum, ſi majus bonum impediatur; ut ſi Concionator vorat jejunum, quod ſi ſervat, concionari ad populum non poteſt: maniſeſtum ex redditione Voti, unum ex his ſequi; videlicet, levi-

tas

VITUS
PERSONIS
Eccleſiaſia

IV

32

tas in votendo, imbecillitas votentis in exequendo, quod votum, numerosa votentis familia; quæ absque notabili nocumento ejus abilitatem tolerare non posset: Necessitas etiam & utilitas publica, ac privata votentem non ligat. *S. Thomas 2. 2. quest. 88. art. 10. Sor. de Jur. Jur. d. lib. 7. quest. 4. art. 1. & fin. Navar. d. cap. 12. num. 76. in fine num. 77. tom. 3. Grass. eod. cap. 31. num. 34. & 35. Leod. loc. num. 77. in fin.*

115 Haecenus de primo Voti effectu.

Secundus est: Quod licet Votum simplex, non minus quam solenne Deo obliget; quia Deus inter solemnem promissionem & quædam simplicem, non facit differentiam, ob id utriusque violatione ducit mortale peccatum, differunt tamen & isto effectu. Quod scilicet *solemne Votum*, non solum impedit matrimonium contrahi; sed etiam dirimat contractum: *Simplex autem Votum*, contractum non rescindit; sed contrahendo impedimentum præster *c. un. de dilation. in l. rursus. & ibi Gloss. qui Clerici vel votenti. & c. Innocent. in c. que in Excommunicationum. de constitut.*

116 Quod si autem quis præstito simplici Voto, contrahat matrimonium, tenet illud, & ob Voti emissi violationem poenitentia imponitur *can. 1. & 2. dist. 27.* Nec obstat, quod dicitur, Deum inter loquentem simplicem, & promissionem solemnem, non facere differentiam. Ecclesia enim, in speciebus facti considerat circumstantias, *can. homo. dist. 40.* & verborum solemnitates attendit in Voto, sicut in juramento: *can. juramenti. 2. 2. qu. 5.* & diversum jus statuit in utroque, etiam poenam veram in violatione unius, quam alterius imponit: *ut patet in c. vir. dist. 22.* Quis enim dubitet, esse commissum sceleratius, quod peccatur gravius. *can. non afferamus. 24. qu. 3.* Violatione autem solennis Voti Deus, & Ecclesiæ constitutio gravius offenditur, quam si recedatur à Voto simplici: poena ergo imponenda fuit gravior. *Venatorum. Anal. Jur. Pontif. hoc tit. in fin.*

COR
De P
er Bene
G